

1571 re tormenta, noctu in jugum sublata, hostes irritu euentu incipiunt.

*Joannis
Bembi vir-
tus.*

Joannes Bembus, ad navigium una cum tormentis e luto extrahendum, euripum denuo ingressus, in eo conatu, materia, quæ obduruerat reluctante, non modo e collis jugo, sed scloppettariorum quoque manu in litore constituta impetebatur. Ob id quatuor triremes ad summovendos hostes se se proripere jubentur; quarum una, quam Christophorus Lucichius Crepsanus ductabat, tormento nimia pulveris vi, dum ignis admoveretur, perfracto, atque in complura fragmenta comminuto, nonnullis in prora consistentibus interceptis, ad carinam usque, detruso æris fragmine, perforata repente, fabuloso solo, incolumi militie, ac remige, depressa est: sarcinæ, atque tormenta eruta; extantibus ex aqua partibus subditæ faces. At Bembus nequaquam territus, extracto tandem navigio, ac remulco ad medium usque euripum perducto, licet fune, cui alligabatur, abrupto, rursus venti vi ad litus compelleretur, atque arenæ impingeret, frustra contraniente ad litus hoste, incolume ad Venerium reduxit. Copiis demum omnibus intra navigia receptis, universa classis Viscardum Cephaleniæ portum petiit. Ibi, ut Jacobus Superantius ac Marcus Quirinus cum quinque ac viginti triremibus in Cretam navigarent, eaque in insulâ triremes armari, suas, si qua indiguissent, rescicurarant, decretum. Venerius verò, ad Cephaleniam ac Zacynthum insulanorum peditatu atque equitatu dimisso, Corcyram se cum classe contulit. Is Leucadicæ expeditionis exitus fuit.

*Venerius:
Leucadis
oppugnatio-
ne deserta,
Corcyram
revertitur.*

*Selymi
ob amissam
classem con-
sternatio.*

De iis, quæ ad Echinadas gesta fuerant, deque foederatorum victoria, ac Turcarum clade nuntiis Byzantium allatis, vix dici potest, quantus cunctos moeror ac consternatio invaserit: omnes trepidare, insueto timore corripì, privatos luctus publica jactura cumulare. Selymus tunc Adrianopoli morabatur; qui classem devictam, dissipatum militiæ florem, ingentem suorum cædem factam audiens, attonitus, ac fere mentis inops, non loco consistere; non inflatum vulnus pati; in omnes partes animum nunc ira, nunc moerore commotum versare; quippe qui majorum suorum

trium-